



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De recordatione vulnerum Iesu Christi D. N. 22

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

arcana cordis, patet magnum pietatis sacramentum. Patent viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.

2. Vulnera Iesu Christi plena sunt misericordia, plena pietate, plena dulcedine, & charitate. Foderunt manus ejus, & pedes ejus, & latus ejus lancea perforaverunt. Per has rimas licet mihi gustare, quam suavis est Dominus Deus meus, quoniam revera suavis & mitis, & multae misericordiae est omnibus eum invocantibus in veritate, omnibus inquirentibus, & maxime diligentibus. Copiosa redemptio data est nobis in vulneribus Iesu Christi Salvatoris nostri: magna multitudo dulcedinis, plenitudo gratiae, & perfectio virtutum.

C A P V T XXII.

*De recordatione vulnerum Iesu Christi
Domini nostri.*

1. **C**um me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi. Cum me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei, resurgo. Cum diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiae Domini mei, & recedit à me. Si ardor libidinis moveat membra mea, recordatione vulnerum Domini nostri Filii Dei extinguitur. In omnibus adversitatibus non inveni tam efficax remedium, quam vulnera Christi. In illis dormio securus, & requiesco intrepidus.

2. Christus mortuus est pro nobis. Nihil
tam

tam ad mortem amarum, quod morte Christi non sanetur. Tota spes mea est in morte Domini mei. Mors ejus, meritum meum & refugium meum, salus, vita, & resurrectio mea: meritum meum, miseratio Domini. Non sum meriti inops, quamdiu ille miserationum Dominus non defuerit. Et si misericordiae Domini multae, multus ego sum in meritis. Quanto ille potentior est ad salvandum, tanto ego sum securior.

CAPVT XXIII.

Quod recordatio vulnerum Christi est efficax remedium contra omnes adversitates.

I. **P**ECCAVI peccatum grande, & multorum sum mihi conscius delictorum. Nec sic despero, quoniam ubi abundaverunt delicta, superabundavit & gratia. Qui de venia peccatorum suorum desperat, negat Deum esse misericordem. Magnam injuriam Deo facit, qui de ejus misericordia diffidit. Quantum in se est, negat Deum habere charitatem, veritatem & potestatem, in quibus tota spes mea consistit: scilicet in charitate adoptionis, in veritate promissionis, & in potestate redemptionis. Murmuret jam quantum voluerit, insipiens cogitatio mea, dicens: Quis enim es tu? & quanta est gloria illa, quibusve meritis illam obtinere speras? Et ego fiducialiter respondebo: Scio cui credidi; qua charitate nimia adoptavit me in filium: quia verax est in promissione, potens in exhibitione, & licet ei facere, quod vult.

P

2. Non